UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thronus Dei Maria Deipara

Spinelli, Pietro Antonio

Coloniæ Agrippinæ, 1696

Ioannes Zemisces Deiparæ ope Barbaros profligat. nu. 54.

urn:nbn:de:hbz:466:1-46853

Visual Library

DEIPARA A BARBARIS MAGNA
eorundem clade Carnutenſes tutatur.

Carnotenſes Deipara ope aduerſos Barbaros cadunt. Beluacenſis. S. Antoninus.

53 ILluſtre in hoc genere extitit Deiparæ protectio, qua circa anno Dom, 878. Carnutenſem Vrbem, quemadmodum cap. 29. diximus, à Rollone, eiuſque militibus nondum Chriſtianis non ſine ingenti eorum ſtrage defendit. quod narrat Vincentius libro 24. Spec. hiſt. cap 46 & ex Vincentio S. Anton. 2. par. hiſt. tit. 16. cap. 2 §. 5. Rollo iſte inquit, nobili quidem, ſed per vetuſtatem obſoletæ proſapia Noricorum editus, regis præcepto patria pulſus multos, quos vel æs alienum, vel conſcientia ſcelerum exagitabat, magnis ſpebus ſollicitatos ſecum adduxit, pyraticam aggreſſus Carnoti adhæſit. Cuius ciues, nec armis nec muris confiſi, B. Mariæ Suppatum, id eſt, Camiſiam adorant, quam Carolus Caluus à Conſtãtinopoli cum aliis reliquijs aduehi fecerat. Hanc camiſiam in modum vexilli ſuper propugnacula cuſtodum tuta pectoribus, ventis exponunt, hoſtes viſam ridere cœperunt, & in eam ſagittas dirigere. Quorum oculis mox obtenebratis, nec retrocedere, nec antecedere valebant. Quod videntes oppidani multa eorum ſe cæde ſatiarunt. Euaſit tamen Rollo, quem Deus ſuæ fidei reſeruauit. Nec multo poſt Rothomagum, & confines vrbes obtinuit. hactenus Vincentius.

S. Antoninus. Rollo ad fidem conuerſus Robertus nũcupatur.

Hic poſtea Rollo, vt obiter hoc dicamus ex S. Antonino 2. par. hiſt. tit. 16 c. 1. §. 12. & cap. 2. §. 8. cum alijs Northmannis, quorum erat Dux, Chriſti fide ſuſcepta Robertus eſt vocatus à Roberto Comite Pariſienſi, qui eum de ſacro fonte ſuſcepit, duxitque in vxorem Gillam filiam Caroli Regis Franciæ & miro feruore diuino obſequio ſe tradidit, iuſtitiæque cultor in paucis fuit. Iniurias enim alijs illatas ſeuerè vindicabat. Is genuit Gulielmum, Gulielmus autem Richardum II. & ille Richardum III. eiuſque fratrem Robertum, qui Apuliam, & Siciliam & Calabriam acquiſiuit, ac Venetos, & Alexium Imperatorem Græcorum deuicit. hæc S. Antoninus.

* * *

IOANNES ZEMISCES DEIPARÆ
ope Barbaros profligat.

Imperator Conſtantinopolitanus victoriae plurimas SS. MM. Georgij, ac Theodori ope conſequitur.

54 IOannes cognomento Zemiſces Imperator Conſtantinopolitanus, (qui in locum Nicephori Imperatoris occiſi an. Dom. 969. ſuffectus eſt) Roſſos, Bulgaros Scythas, Turcas, & alios Barbaros aduerſus Conſtantinopolitanum Imperium ſimul fœdere iunctos num. 330. millium militum iteratijs prælijs ope SS. Martyr. Georgij, & Theodori anno 971. ſuperauit, & Bulgarorum Regnum, à quibus multa imperio damna ſuperioribus ſeculis illata erant, tandem extinxit. Cæterum Deipara S. Theodorum Imperatori ſuppetias ferre iuſſit, quod & ipſe in triumpho agnouit. Id verò Curopolata narrat his verbis. Fertur diuinam opem tum Romanos, (ſic enim vocat Græcorum exercitium) eſſe conſecutos; turbo enim quidam à Noto vento in ora Scytharum conſtitit, haud permittens eos capitis vti in bello conſilijs. Et quidam vir conſpectus eſt ab omni Romanorum exercitu equo albo vectus in anteſignanis pugnare, hoſtiumq; commouere, ac perturbare phalanges, nulli prius, aut poſtea cognitus, quem aiebant vnum eſſe ex glorioſis martyribus, Theodorum videlicet, quibus tutoribus, ac propugnatoribus contra hoſtes vtebatur ſemper Imperator; etenim fortè accidit, vt hoc prælium ea die committeretur, qua celebrare memoriam militis conſueuimus. Cum & mulier quædam nobilis Bizantii ſupremæ poteſtatis per viſum illud ita eſſe confirmabat vna ante congreſſum die, in ſomnis ſibi viſam Dei Genitricem præſto eſſe, & cuidam militi dicentem audire; *Domine Theodore meus, ac tuus Ioannes in periculo verſatur, ad eius auxilium propera.* Orto ſole eadem mulier vicinis rem patefecit, & quæ viſa ſunt hæc fuere. Funduntur rurſum Scythæ, qui clauſas Vrbis portas comperientes, à Sclero Duce per planitiem diſſipati, mutuoque conculcati interfecti ſunt, & à Romanis cæſi numero infiniti, vulnerati autem ferè omnes. Martyri autem debitum reddens honorem Imperator, & auxilij præmia rependens, templum illud, vbi ſanctum eius corpus conditum eſt à fundamentis euerſum, maius pulcherrimumq; ædificauit, attributis ei magnificis poſſeſſionibus, quod etiam pro Euchanem, Theodoropolim appellauit: hæc Curopolates.

Feſtum S. Theodori, qui ſuit miles celebratur die 9. Nouib. Deipara mandat S. Theodoro, vt Imperatori Conſtanti auxiliũ ferat ad debellandum Scythas.

lates. De triumpho autem hæc ſubijcit. Imperator ſe moderatum cupiens oſtendere equo albo vectus triumphauit. In curru verò quadryugo admodum decoro ipſi parato impoſitis Bulgarorum veſtibus, & ſuper ipſis Dei Genitricis Imagine, vt Ciuitatis patronæ ipſum præire iuſſit. Cumque ad locum, quod forum dicitur, perueniſſet ſatis celebratus Deo Patri, & eius Filio, Spirituique Sancto actis gratijs ob victoriam conſecutam inde ad magnum templum profectus, ibique Bulgarica corona pro munere Deo dedicata, in Regiam ſe recepit. hæc ex Curopolate.

IOANNES COMNENVS DEIPARÆ
auxilio Scytarum exercitum delet.

Magnam de Scythis victoriam inuocato B. Virgin. patrocinio Conſtant. Imperator obſequitur Nicetas. Choniates Exod. 17.

55 IOannes etiam Comnenus Conſtantinopolitanus Imperator anno 1123. Deiparæ ope de Scythis trans Iſtrum habitantibus, & ingenti exercitu Thraciam inuadentibus victoriam reportauit, de quo Nicetas Choniates hæc in ſuis Annalibus. Cum Romanæ, inquit, phalanges, vigentibus hoſtibus, & audacius ſe inferentibus laborarent, Imaginem Dei Genitricis cum gemitu, & miſerabilibus geſtibus Imperator intuens lacrymas bellicis ſudoribus calidiores fundebat; neque id fruſtra. Statim cœleſti robore armatus Scythicam aciem profligat, quemadmodum olim Moyſes extentione manuum Amalechitarum turmas diſſipauit. Aſſumptis igitur armigeris, qui clypeis oblongis, & prominentibus galeis inſtar muri inexpugnabilis muniuntur, cum Scythis congreditur. Qui cum diſſoluta illa curruum ſerie ad manus venirent in turpem verſi fugam, à Romanis alacriter perſequentibus magno numero cæduntur Hamaxobij illi, caſtriſque direptis innumerabiles capiuntur. Ioannes verò in rei geſtæ monumentum feſtum inſtituit, quod Pazzinacatum dicitur, & ad triumphi pompam præparari iuſſit currum argento interpunctum, & gemmis pretioſiſſimis ornatum, qui à quatuor equis niue candidioribus trahebatur, in quo Dei Genitricis Imaginem collocauit, cui victorias, vt Collegæ Imperij inuictæ acceptas ferebat, habenas viris potentiſſimis moderandas, & cognatis ſuis currum curandum dedit; ipſe Crucem manu geſtans pedes anteceſſit, & Dei ſapientiæ templum ingreſſus gratijs Deo palam ob ſucceſſus actis in Palatium abijt. hæc Nicetas.

CONSTANTINI COPRONYMI, ET
Leonis Iſaurici Hæreticorum mors execranda.

Conſtantini Copronymi impietas in B. Virginem punitur. Theoph.

56 NOtum eſt illud Conſtantini Imperatoris Conſtant. iconoclaſtæ in Deiparam blaſphemi, qui eius inuocationem edicto propoſito prohibere impia temeritate eſt auſus; is vt refert Theophanes, & alij Hiſtorici anno Domini 775. miſerabiliter moritur clamans dicens, dum adhuc viueret: *Igni ſum inextinguibili traditus:* & iubens ſanctam MARIAM exinde honorari, ac celebrari veram Deiparam, quod tamen in vita ſua omni conatu adhibito impugnarat; ſimilis Antiocho à quo 2. Mach. 9. dum moreretur flagella diuinitus inflicta intorſerunt vocem illam: *Iuſtum eſt ſubditum eſſe Deo, & mortalem non paria Deo ſentire.*

2. Mach. 9.

Leo Armenus Deiparæ inimicus interficitur. Cedrenus.

De Leone Armeno Imp. Conſtantinopol. Iconoclaſta pariter impijſſimo, qui in Catholicos crudeliſſimè per ſeptennium ſæuierat, Cedrenus oblatam eius matri viſionem, qua à Deipara illius mors præſignificabatur, narrat his verbis. Leonis mater per viſum acceperat, ſe cum in ædem Deiparæ Blachernenſem crebro commearet, virgini cuidam occurrere albatis viris ſtipatæ. Porrò ædem ſe videre ſanguine repletam, & Virginem cuidam albatorum mandare, vt ollam ſanguine impleret, matrique Leonis bibendam porrigeret; ſe autem multorum annorum viduitatem prætendere, cuius gratia, neque carnes, neque quicquam ſanguine præditum guſtaſſet. Ideoque olla etiam hac abſtineret, tum virginem iratam dicere. Qui ergo filius tuus non definet ſe multo cruore implere, eoque me, & filium Deum meum irritare? hæc Cedrenus, cui conſentit Zonaras. Leo vero haud multo poſt miſere interfectus perijt anno Domini 820.

Zonaras.

ALBIGENSES HÆRETICI IN GALLIA
per Deiparam extincti.

Roſarium contra Albigenſes inſtitutũ.

57 COntra Albigenſes quoque hæreticos circa an. 1212. Virg. Deiparæ iuſſu inſtituta eſt per S. Dominicum formula prædicandi per Roſarium, ſeu Pſalterium, qua ca-